



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quot, & quibus modis acquirantur beneficia, tu[m] in genere, tum in specie?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

nem habeat. De Monachis 12. h. e. ita tamen, ut sua semper utilitas etiam maneat unioni de talis Ecclesie proventibus, prout natura unionis exigit, & constitutio Pij V. statuit.

SECTIO II.

De modis acquirendi beneficia Ecclesiastica, & modo observando in eorum collatione.

§. I.

Quot, & quibus modis acquirantur beneficia, tum in genere, tum in specie?

Beneficia vel justè & legitime acquiruntur, vel injustè & illegitime: justè & legitime acquiruntur per Canonicam institutionem *juxta Reg. 1. in 6.* intelligendo institutionis nomine, quamlibet legitimam provisionem, & nomine Canonicæ institutionis, modum providendi à SS. Canonibus approbatum. Injustè verò, illegitime, & non Canonicè acquiruntur beneficia, quæ obtinentur, jure consanguinitatis v. g. præterendo successionem quasi hæreditariam, aut ex testamento debitam, aut alio modo à jure reprobato, qui modi plurimi sunt, cum amor reddituum Ecclesiasticorum varios eorum acquirendorum modos excogitet; approbati tamen à jure modi beneficia acquirendi sunt electio, postulatio, præsentatio, institutio, collatio, &c. de prioribus modis alibi, de collatione in hoc Tit.

§. II.

An, & quale jus per collationem alicui factam acquiratur in beneficio post, si ve etiam ante acceptationem illius?

Collatio proprie loquendo, est concessio libera, seu assignatio beneficii vacantis, ab habente potestatem facta, si absenti, & ignoranti fiat, jus quæritur in beneficio, ante hujus acceptationem non tribuit, collator tamen illud conferre valide non potest, nisi prius acceptare recuseris, ut dicitur *e. Si tibi 17. h. 1. in 6.* aut tempore acceptandum tibi notificatum, & postquam jam transierit, absque tua acceptatione. Et hinc per solam collationem alicui factam, ante acceptationem quæritur acquiritur jus ad rem, post acceptationem tamen acquiritur jus in re, si ve quæritur dominium in beneficio, etiam ante provisionis apprehensionem, ut illud verum sibi possit à possessore, aut detentore pro jure illius agere, si tamen ad eum qui contulit beneficium, potestas extendendi investituram, si ve compositionem possessionem pertineat. Et quamvis collatio beneficii nonnunquam in jure dicitur donatio, quæ nullum jus tribuit ante acceptationem, neque tamen in corpore habet se, ut donatio, cum ex parte conferentis, collatio beneficiorum tractatur, non ex mera liberalitate procedat, sicuti proprie dicta donatio, sed ex obligatione officii, ratione cujus debet in beneficiis vacantibus provideri.